



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 3. Cæsar Nuntiorum postulata sibi scripto tradi postulans.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.

A.C. 1561.

§. III.

*Cæsar Nuntiorum postulata sibi scripto tradi postulans.*

*Pallav. l. c.*  
n. 3. & 4.

Postea Cæsar perceptis Nuntiorum sermonibus eosdem rogabat, ut sua postulata ei scriptotenus traderent: verum Nuntii id concedere disertis prohibebantur verbis; quippe summus Pontifex, ne variis responsis ultro, citroque datis sibi molestiam accerferet, Legatis suis speciatim injungebat, ne præter ipsius Bullam, literasque quicquam aliud scripto producerent: cum autem Cæsar insuperhabitis Nuntiorum rationibus, quas ad vindicandam suam repulsam proferebant, suæ petitioni pressius insisteret, hi, quid consilii caperent, mutuo deliberabant, ac serio perpendentes, quod longior pertinacia Cæsarum animum reddere alienum, totumque negotium prospero successu frustrari posset, tandem breve admodum scriptum proferebant, in quo Pontificis studium, ac paternum in omnes Christianos etiam ab Ecclesia segregatos, ac divulsos affectum testabantur, exponentes, quod Papa jam sæpius suos ablegasset Nuntios, ut dispersas oves eo promptius ad ovile revocaret. His addebant, quod cetera satis ample in summi Pontificis diplomate, necnon in Cæsa-



Cæsaris literis, atque in alia epistola eidem tradita forent exposita. Sæcul. XVI.  
A.C. 1561.

§. IV.

*Cæsaris responsum ad Nuntiorum postulata.*

Attamen ad hoc scriptum Cæsar hunc in modum respondit: „Pontificis consilium, de quo uterque Nuntius me certiore reddidit, summopere gratum, ratumque habeo, palamque testor, quod semper obedientiam, ac submissionem Sacræ Sedi debitam reddere, atque in eadem hac occasione omne obsequium expectatione majus præstare paratus sim: insuper mihi persuasum habeo, quod Principibus Catholicis ad Synodum alliciendis nova hortatione calcar addere supervacaneum sit: Protestantes vero Principes jam facti sunt certiores, quod Pontifex Synodum convocare statuisset, quinimo ipsimet jamjam conventum agere decreverunt, ut ibidem mutuo hac super re deliberarent, hinc Naumburgum Misniæ oppidum ad decimam quartam Januarii diem venire statuerunt: cum vero eos abs dubio Synodo nonnisi propositis conditionibus durissimis, quas vos minime ignoratis, consensuros prævideam, meum hac in re consilium foret, ut vos ipsimet hosce Principes

*Pallav. u. 4.*

*Gentiani. c.*